3 Bk
21

IN IACOBVM SEXTVM SCOTORVM REGEM, ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ CORONA, IVRE HÆREDITARIO DONATVM

ADAMI REGII I. C. & in Foro Eccleſiaſtico *EDENBVRGENO Iuridici:*

PANEGYRIS.

K
King (A.)



EDENBVRGI EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS. Anno Domini 1603.

21

MVSEVM
BRITAN
NICVM

7

IN IACOBVM SEXTVM SCOTORVM REGEM, ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ CORONA, IVRE HÆREDITARIO DONATVM

ADAMI REGII I. C. & in Foro Eccleſiaſtico *EDENBVRGENO Iuridici:*

PANEGYRIS.

QVID generi & titulis longæuo è ſanguinis alti
Ordine deductis, virtus comes addita, cœlo
Iam ſperare nequit? terris non jure mereri
Fortunæ ſecura poteſt? ſatis vſque verendam
Majeſtate ſua, ſpretus veſtigat, & vltrò
Ambit honor: meritis dignam, ſummoque potentem
Tantùm ſtare loco, ſceptris onerata poteſtas
Arrogat: amplexuſque ſuos venerata ſequentem
Pacatum ſpondet fatis melioribus orbem.
Scilicet id curę ſuperis, cœloque ſecundo
Virtutes ea fata tuas IACOBE manebant:
Vt quæ tot longa ſeriè diademata mundo
Diſperſit Stuarta domus: te principe tandem
Diſcordes toties populos, & in arma feroces
Mutua, perpetua ſub pace, coerceat vno
Imperio: & ſceptro latè dominetur alieno:
Quà circumfuſo ſtagnata Britannia ponto,

Non modo parrhaſiam contracto vertice in Arcton,
Orcadas inſperſas pelago, Thulenque propinquam
Proſpicit: & famulis pulſatas Æbudas vndis:
Quin etiam Oceanum qua dedignata prementem,
Longius humentes dum ſe diffundit in Auſtros,
Armoricis Neuſtriſque latus prætendit arenis,
Iuuernæ quà pingue ſolum, quà roſcida prata
Perpetuis rident Zephyris, ſemperque vireſcunt
Gramina, nuſquam impunè vagis reptata ceraſtis.
Ergo Deo tua chara ſalus: totieſque periclis
Ereptum valida muniuit ab æthere dextra.
Nulli vnquam fauſtis cælum præſentius aſtris
Naſcenti affulſit: tete congeſſit in vnum
Quæ diuiſa beant: primo mens ardua in ortu,
Iam propriis fœcunda bonis, ſibi credita ſceptra
Senſit: & imperii iam tunc maioris honorem
Spirabat: teneris cui ſpes ſuccreuit ab annis.
Nec minor oris honos: iam tunc frons æmula mentis,
Æthereo fulgore nitet: placidóque reſedit
Auguſta in vultu cum majeſtate venuſtas.
Mox vbi Palladijs accliuior artibus ætas
Imbuitur, cultuque adoleſcunt ſemina magnæ
Indolis; Aonios lucos Cirrhęaque templa
Pulſantem, & ſacros properantem accedere fontes,
Ducit Apollo manu penituſque Helicone refuſo
Proluit: & gemina cingit diademata lauro.
Tum canos animi ſenſus, faſtiſque futuris
Digna loqui, facundæ & dulcia pondera linguæ
Aonides ſtupuere Deæ: ſeu quando liberet
Caſtalios animare modos, atque ore rotundo

Fundere

Fundere quæ ſaturent permeſſia mella nepotes,
Seu mauis latè numeris vndare ſolutis,
Et populos mulcere graui, vel ducere leni
Sermone; attonitas non plenius imbuit aures
Dulichius Pyliuſue ſenex: non ille diſerto
Eloquii Romanus apex, quum fulmine roſtris
Intonuit, traxitque ſuos in vota Quirites.
Iamque vbi primęuis animo cedentibus annis,
Maturum imperio, te publica cura tuorum
Poſcit: & arreptas regni moderaris habenas:
Priſca Caledoniis creuit reuerentia ſceptris:
Te populi complexus amor, quum ſenſit amari,
Nil votis ſupereſſe ſuis exultat: & altæ
Iam pacis ſibi ſpondet opes: quum protinus omnes
Virtutes cælo reduces coiiſſe ſub vnum
Pectus, & in noſtros ſe didere cerneret vſus.
Iuſtitia armorum victrix, metitur honeſto
Vtile; ius ſummum moderato temperat æquo;
Perpetua recti norma, decurrit eodem
Tramite; non odio indulget: non cedit amori.
Conſiliis ſuffulta ſuis prudentia, in omnem
Excubat euentum rerum; ratione ſagaci
Deprendit quæcunque latent: ea ſola licere
Quæ deceant, rebus non ſeſe efferre ſecundis:
Nec frangi aduerſis: venienti occurrere damno:
Fortuna præſente frui: grauitate modeſta
Imperii retinere decus: faſtuque remoto
Acceſſus faciles præſtat. Clementia pænis
Turpe putat paſci: ratio ſi ſuadeat vltrò
Ignouiſſe velit: non implacabilis ira,

Sed lenis delicta domat, ſe mallet amari
Quam metui, colere officiis, doniſque merentes,
Reſpuere offenſas facilis. ſine labe pudoris,
Seruat inoffenſi genialia fædera lecti
Temperies: menſis, cultuque habitûque modeſto,
Quem ſtatuit natura modum. pietate fideque
Jam vitæ pars nulla vacat, virtutibus iſtis,
Sic felix IACOBE tui moderamina ſceptri
Dirigis: vt poſſis longè maiora mereri.
Nec quoties poſitis ſolatia quærere curis
Forte datum: molles luxus & fæta malorum
Ocia, vel ſomnos deſes ſectaris inertes.
Sed curſu laſſare feras, indagine ſyluas
Exercere iuuat: damam leporemue daturas,
Explorant auidis agaſæi naribus auras:
Puluereas ſpumantis equi nunc vngula nubes
Conglomerat, fictique mouet certamina Martis:
Aſſueſcis tolerare æſtus & frigora, nimbos,
Et ſtomacho latrante famem: pluuioque ruentem
Axe Iouem: atque imis commotas ſedibus vndas.
Quin etiam cultis cedunt ſua tempora Muſis:
Indulgeſque vices ſtudiis. tibi pagina diues,
Et genio victura ſuo, nunc intonat armis
Chriſtiadum, Ionii feruentia cęrula ponti,
Et multo vndatas Turcarum ſanguine echidnas:
Auſtriaco quum læta duci victoria, opimos
Parturit Oſmanidum immenſa de ſtrage triumphos:
Et debellatas Achelous decolor vndas,
Corporibus creuiſſe videt: metuitque teneri,
Atque iterum Herculea truncari gymnade frontem,
Nunc ſophiæ ciuilis opes, & ſacra reſignat

Socra-

Socraticæ decreta ſcholæ: quum maxima noſtri
Spes voti ERRICVS, vita ſcriptiſque docente
Te diſcit, quô ſe virtus concludat honeſti
Limite: quô medium inſiſtat tutiſſima callem
Tramite: qua norma iuſti moderetur habenas
Imperii: expendat leges: iniuſta recidat:
Expugnet qua parte metus, qua leniat iras:
Qua luxum & ſordes vitet: qua fręnet amores:
Vt noſtris tandem votis, maiorque futurus
Imperio: patrias felix ſuccreſcat in artes.
Interea his ſtudiis, dum ſe tua fama per orbem
Didit, & erectum caput inter nubila condens,
Iam meritis non æqua tuis data ſceptra, diuque
Debita tardari queritur, fera bella minari
Eumenidas, compoſque hominum ſub ſtrage latentes,
Diua themis, fatis reginam vt vidit Eliſam
Funere maturo ceſſuram, & in aſtra vocari:
Signifero delapſa Polo, quà lucibus vmbras
Exęquant chelæ, languenti talibus inſtat.
Heroina potens, animi cui maſcula virtus
Saxonidum firmauit opes: fortuna triumphos
Hoſtibus acciſis peperit: prudentia tuta
Iuſtitia illuſtri populos ſub pace beauit.
Quæ bona iam multos fudit tua vita per annos:
Eſſe tuis æterna velis: fruſtrare maligna
Spe furias: pacemque etiam poſt funera dones:
Iam tandem meminiſſe iuuet: tibi iure ſecundum
Deberi his ſceptris Stuartum: cede fauori
Fatorum: votoque tuo ſibi vendicet Anglos,
Virtutis ſortiſque tuæ non degener hæres
Illa ſub hæc, moribunda trahens ſuſpiria: nec mens

Nec mihi fas legiſſe alium: cum Saxone Scotus
Imperio coeat: regnet Stuartius Heros;
Quem genus & virtus, quem publica commoda poſcunt,
Aſſenſere animis omnes, proceresque patreſque,
Quos penes arbitrium regni, vel cura popelli:
Nec mora, pallentes Reginæ ſpiritus artus
Vix liquit: friguſque rigentia membra reſoluit:
Quum iam fama volat, votoque edicit Eliſę
Supremo, fatiſque ſuis, procerumque patrumque
Iudicio, in regnum Scotum meruiſſe vocari.
Fluctuat ancipiti vulgus ignobile motu:
Hinc dolor amiſſæ dominæ, & ne nubila frontem
Corruget fortuna metus affligit: at illinc
In te fixus amor: virtutum ſumma tuarum
Gloria; maiorum ſub te ſpes magna honorum,
Componunt luctus; vultuſque animoſque ſerenant
Templa calent votis, applauſibus omnia feruent
Compita; te poſcunt vnum: tibi lene fluentes
Sternit aquas Tamiſis: lentiſque remiſſior vndis
Obuiat Oceano: dum te ſuſpirat & ardet,
Incuſatque moras: plinlimone lætior exit
Se longo ſinuans tractu Sabrina: refingit
Humber inauratum ceruinæ frontis honorem:
Nollet & amoto iam limite Tueda morari,
Iamque vbi complecti licuit, coramque tueri:
Quacunque ingrederis flauos tibi compta capillos,
Et dites adaperta ſinus, formoſa videri
Anglia promeruit: famulas tibi porrigit vlnas:
Obſequiiſque ſuos placidis teſtatur amores;
Hoſtilis nil auſa manus: nil turbida rupto
Ordine tentauit nouitas, nec principe ſeſe,

Orbari

Orbari:aut regni mutatas ſenſit habenas.
Nec minus interea poſitis pacatior armis
Imperio gauiſa tuo,ſibi ponere leges
Exultat:paciſque habitu iuuerna reſumpto,
In falcem curuari enſes,in aratra domari
Fraxineum robur,ſua reddi rura colono,
Et gregibus colles,& bubus paſcua geſtit.
At tua quæ primę dedit incunabula vitæ,
Et fouit ſpes læta tuas,ſibi Scotia quanquam
Lugeat ereptum:& mallet quæ ſæpe ſolebas,
Præſentem te ferre ſuis ſolatia curis.
Vt ſenſit tamen,accliui ceu lampade Phæbum
Altius elatum cælo,diffuſius aucto
Lumine,vitales ſpirare potentius ignes:
Communi lætata bono,gratatur honorum
Incrementa tibi,pacem orbi,fędera gentis
Cognatæ firmata ſibi:& numeroſa precatur,
Felicis quocunque loco tibi ſecula vitæ:
Nullaque ſit patrio tellus tibi charior aruo.
Nec peregrina velint ſtudiis ceſſiſſe tuorum
Gaudia:Legatis ſtrepit Aula frequentibus.omni
Curritur Europa:numeroſior aduena nunquam
Impleuiſſe ſinus Tamiſis,diteſque receſſus
Creditur. Augeri veterem te lætus amicum
Gallus ouat titulis:tandemque ea ſceptra tenere,
Quæ toties metuit,toties ſibi noxia ſenſit:
Vt iam Saxonidis,quô Scotis ſperet eodem
Fœdere coniungi:quod nullis turbidus armis
Mars,non liuor edax,non ambitus,improba nunquam
Vindictæ regniue fames diſſoluere poſſit.
Calaicis oleam prætendit Iberus ab oris,

Impiger & morino veniens de littore Belga,
Pacem orat, longo finemque imponere bello.
At Batauus depoſcit opem. Bellator ab Arcto
Cimber adeſt, creuiſſe tibi ſine ſanguine gaudet
Imperium: paruòque ſua de ſtirpe nepoti,
Spem tot ſceptrorum fato propiore foueri.
Saxo ferox Albim: Cauci liquere Viſurgim:
Excituſque tua Rheni venit accola fama:
Quique antenoreas ſuperi maris arbiter arces
Incolit, & magnis Venetus ſe regibus æquat.
At ne lætitia cedat mortalibus æther:
Iam puras Phryxæa nouant tibi ſidera flammas:
Blanda ſerenati tepet indulgentia cæli:
Raraque Phæbæos obducunt nubila vultus:
Siue Europæi frontem & palearia tauri:
Arduus œbalidas ſeu luſtret lampade fratres.
Terra ſalutares non plenius imbibit ignes,
Lætior aut vernos vnquam ſpirauit honores,
Imperii ver illud erat: fęcunda ſereno
Arriſit natura tuo: cæloque relicto
Virtutes terris reduces, atque aurea ſpondet
Secula: & in ſeros felicia ſceptra nepotes.
Perge modô qua fata ferunt IACOBE, tuorum
Spes ſuperes, virtute tua da gaudia faſtis
Perpetua: & lucem ducant a principe ſceptra:
Nec rugam trahat auctus honos, animumue beatum
Obnubat: non te ferri metuenda poteſtas
Sed populi tutetur amor: certuſque merenti
Conſtet vt ante fauor: pacem te iudice mundus
Accipiat: ſecura fides cum pace triumphet:
Nil impunè malis liceat: virtutibus adſint

Præmia

Præmia: præclaras non obruat ambitus artes.
Sic te felicem populi venerentur amentque:
Quoſcunque Exoriens, vel quum ſe condit in vndis.
Phœbus obit: ſic te ſucceſſibus vſque ſecundet
Increſcens fortuna nouis, cumuletque triumphis:
Sic meritis anniſque gravem, Deus ille deorum,
Serius educat terris, Cœloque reponat:
Et ſceptris tituliſque tuis longo ordine fati,
Surroget innumeros fæcunda prole nepotes.

AMEN.